



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XX. De fructibus pignoris in fortem computandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

CASUS XX.

De fructibus pignoris in sortem computandis.

Eustachius à Sebastiano ob mutuum huic concessum accipit in pignus rem quandam fructiferam.

Q. 1. Num in sortem computandi sint fructus pignoris, si hoc antea Eustachio nullatenus obligatum fuerit?

Q. 2. Quid tenendum, si pignus sit Feudale?

Q. 3. Si esset Emphyteuticum, usufructuarium, Usuarium, conductitium?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num in sortem computandi sint fructus pignoris, si hoc antea Eustachio nullatenus obligatum fuerit?

- | | |
|---|--|
| 1. Variè accipitur nomen pignus. | lucris cessantis aliquid fructuum retineri potest. |
| 2. Pignus pro contractu sumptum definitur. | 7. His cessantibus causis fructus percepti in sortem computandi sunt. |
| 3. Pignus latius acceptum completur hypothecam. | 8. Creditor jus quidem reale in pignore habet illud tamen suis pecunijs annumerare non potest. |
| 4. Res opignoratae possunt fuisse iam antecederent accipienti eas in pignus obligatae, vel non. | 9. Non obstat exemplum mutuatarij. |
| 5. Explicatur status questionis. | 10. Compensationem tamen expensarum |
| 6. Ratione damni emergentis aut | |

- farum atque laborum ex fructibus poterit facere.
11. Nec modicos fructus absque presumppta licentia debitoris poterit percipere.
12. Etiam si ipse debitor non coluisset agrum,
13. Potest tamen expensas, & laborem suum deducere.
14. Et quidem non solas necessarias, sed etiam utiles.
15. In contrarium nihil probat cap. Salubriter de Usuris.

S. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de fructibus pignoris Feudalis sit faciendum?

16. Status questionis exponitur.
17. Videntur ejusmodi fructus computandi in sortem, ut evitetur usura.
18. Licet vasallus onere obsequij personalis excusetur.
19. Presertim si fructus percepti multum superent pensionem vel obsequium a vasallo prestandum.
20. Accedit, quod dominium utile hic non consolidetur cum directo.
21. Aut Feudum sine onere quidem, non tamen sine precedentibus meritis vasallo collatum.
22. Si Feudum ad Ecclesiam vel monasterium, ut ad Dominum directum, spectans, sine pretio aut precedentibus meritis pro obsequio personali concessum, in pignus Domino directo cesserit, fructus illius non erunt in sortem computandi.
23. Idem de Feudo ad secularem spectante tenendum erit.
24. Ob consuetudinem in contractu Feudali introductam.
25. A vasallo tamen obsequium personale, aut pensio realis exigi non poterunt.
26. Prædictis etiam locus est, licet fructus excedant estimationem obsequij aut pensionis.
27. Non omnes tamen sibi retinere Dominus poterit, si Feudum industria Vasalli melioratum fuerit.
28. Aut in compensationem precedentium meritorum collatum.
29. In Feudo franco fructus in sortem computandi sunt.
30. 31. 32. 33. Satisfit argumentis contrariis antea adductis.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An idem liceat circa fructus pignoris Emphyteutici, usufructuarij, usuarij, conductivij?

34. Fructus boni Emphyteutici probabilius non sunt computandi in sortem.

35. Non obstat Obstat cap. ex in-

sinuatione : de Feudis & cap. conquestus, §. de usuris.

36. Fructus tamen ex pignore usufructuario, usuario, & conductio in sortem computandi erunt.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num in sortem computandi sint fructus pignoris antea omnino liberi?

Pignus aliquando sumitur pro ipsa re, quæ Creditori pro securitate debiti traditur aut obligatur, in hoc sensu dicimus, pignus hoc esse idoneum, traditum, venditum, distractum, restitutum juxta §. 1. *Instit. quibus alienare licet.* aliquando hoc nomen sumitur pro ipso pignorationis contractu, sive actu, quo rem alteri tradimus vel obligamus. *Lege 1. §. fin. ff. de pactis* & *Lege 1. Prin. §. 1. ff. de pignorat. actio.*

Sabinde etiam accipitur pro jure, quod in re sibi tradita vel obligata Creditor habet. *lege 1.*

prin. §. 2. ibi pignori obligaverit ff. de pignoratitia actione.

Prout nomine pignoris ipse contractus significatur, definitur istud, quod sit contractus nominatus, bonæ fidei, quo Creditori res traditur, vel in ea jus ipsi constituitur ad debiti securitatem. *Lege 1. §. Lege : si convenit 18. princ. ff. de pignorat. actione.* Ex qua definitione colligimus hujus contractus pignoratitij finem esse Creditoris securitatem, ut enim iste facilius consequatur suum debitum unâ cum persona debitoris etiam ipsum pignus, seu res oppignorata Creditori

ditori est obligata, ita ut ex ista satisfacere sibi valeat, si debitum aliter consequi nequeat *juxta Legem plus 25. ff. de R. J.*

3 Accipitur autem pignus & strictius & latius; si pro hypotheca etiam accipitur, sumitur latius, & consistit in re quadam immobili. strictius autem sumitur, si res mobilis oppignorata fuerit. Item in hypotheca solus consensus, seu conventio intervenit, qua res plerumque immobilis sine actuali traditione alteri obligatur, ut habetur in *Lege: si rem 9. S. 2. ff. de pignor. actione*. In contractu oppignoratio autem consensui accedit traditio.

Faciendum est aliquod discrimen inter ipsas res, quæ oppignorantur, potest enim hæc esse, vel feudalis Emphyteutica, usufructuaria, usuaria & conducticia vel omnino libera, & illi, cui in pignus datur nullo modo adhuc obligata.

4 Casu igitur, quo res aliqua immobilis & fruges proferre nata cuidam oppignoretur, dubium moveri potest, num fructus ex illa prognatos in suum commodum convertere possit Creditor, ita ut ex summa debita seu sorte ipse debitor illos nequaquam possit detrudere v. g. dedi Paulo mutuos 1000. florenos, in pignus iste concedit agrum, ex quo singulis annis percipio frumentum 50. florenis æstimatum, post decennalem possessionem collegij

500. si, quaeritur igitur an Paulus expungat totum debitum mille sibi mutuo datorum florenorum, modo 500. adhuc restituat, vel utrum reddendi illi adhuc sint mille floreni?

Circa hoc dubium conveniunt Authores, casu, quo Creditori ex mutuo alteri dato eveniret aliquod damnum, & cessaret quoddam lucrum, vel adesset periculum amittendæ fortis, fructus à Creditore posse percipi saltem in illa quantitate, quæ iudicio virorum prudentum compensaret damnum inde exortum: cum autem hæc omnia abesse possint, quid in cæteris casibus liceat, erit examinandum, & quidem cum, juxta dicta sint variae species pignorum, de singulis aliqua delibabimus.

Dico 1. Pignoris fructus in sortem computandos, sive ut partem solutionis debiti habendam, consequenter hujus quantitatem considerata quantitate fructuum à Creditore perceptorum diminuendam esse, aut etiam omnino extinguendam, si à fructibus perceptis adæquetur. Ita communis DD.

Probatur Conclusio ex cap. 1. § 2. cap. conquestus de usuris, cum contra cap. significante: de pignori. cap. ad nostram 1. de Jur. Jur. Lege 1. § 2. Cod. de pignorat. action. Lege 1. Cod. de distract. pignori.

Probatur ratione, Fructus sunt pars rei oppignorata: ergo se-

quantur dominium istius *Lege fructus 33. ff. de R. V.* sed hoc est penes debitorem *juxta Legem cum sortis 35. §. 1. ff. & Lege pignus 9. Cod. de pignorat. actione*: ergo etiam fructus penes hunc erunt.

Probatur 2. Talis intenderet aliquid accipere ultra sortem: sed ultra hanc in mutuo non licet aliquid accipere extra casus antea adductos: ergo &c.

Confirmatur omne pignus tantummodo datur propter securitatem, non autem ut Creditor ex illo lucrum percipiat *Lege si pignore 54. §. 1. ff. de furtis &c.*: ergo &c.

Dices: Creditor habet jus reale in pignore: ergo fructus sunt illius. R. distinguo antecedens: habet in eo jus reale, ut tamen in illius bonis nequaquam numerari possit, concedo, ut possit, nego antecedens, & consequentiam.

Dices 2. Mutuatarius potest percipere fructus ex re mutuo data perceptos: ergo etiam pignus possidens. R. nego paritatem: mutuo enim data res *juxta Legem: mutuum 2. §. 2. ff. de rebus Creditis* transit in dominium mutuatarii, & quælibet res fructificat Domino suo.

Dices 3. Juxta hæc principia retentio pignoris erit Creditori damnosa: probatur. debet jacturam pari expensarum, laborum, in colendis v. g. agris & colligen-

dis fructibus factorum, & horum loco nihil poterit ex fructibus retinere. R. eundem posse expensas ac pretium laboris subtrahere, hinc in sortem computandi eidem erunt illi duntaxat fructus, qui supererunt detractis æstimatione laboris, & necessarijs atque utilibus expensis in culturam factis, uti & damnum emergens & lucrum cessans.

Dices 4. Saltem cum *Soto lib. 11. 6. de Just. q. 1. art. 2. ad finem* Saa admitti potest, licere Creditori percipere fructus modicos ex pignore, si Dominus illud colere neglexisset. probatur, tales fructus sunt annumerandi fructibus industrialibus. R. negando, prout etiam negant *Navarrus cap. 17. Molina disp. 320. Rebellus 2. p. 1. de Just. lib. 8. q. 11. n. 2. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 16. n. 137. Salas Palao*, eadem enim est ratio pro modica parte, quæ pugnat pro magna, nisi præsumere prudenter Creditor possit, debitorem non fore in hoc invitum, & liberaliter illos donare.

Dices 5. Si Creditor agrum si bi oppignorat non coluisset, nullum fructum attulisset Domino, & tamen ad restitutionem aliquorum fructuum non potuisset obligari Creditor: ergo neque obligari poterit, si coluit. R. antecedens ab authoribus *juxta Palaum de Just. cap. 4. pu. 19. n. 4. negari*, eo quod Creditor teneatur in custodiendo, colendoque

Nn doque

dó iue pignore illam adhibere diligentiam, quam prudens ac vigilans custos adhiberet: ergo si ob hujus diligentie omissionem nullos fructus colligat, suæ culpæ id tribuere debet & hinc debitori Domino compensare fructus, quos ex culpa lata & levi colligere omisit, ita Vasquez Salas.

13 Dices 6. Hac ratione Creditor etiam maximum incommodum ex pignore fructifero perciperet, quia in commodum debitoris deberet colere bona illius, nullo ex hac sua industria percepto fructu. *¶* quod ipse Creditor non solas expensas, sed etiam labores possit deducere. expensas quidem vi *cap. 1. & 2. de usuris: & cap. ad nostram 1. de Jurejurando*, laborem autem, quod etiam hic nomine expensarum comprehendatur *juxta cap. ad nostram de reb. Eccles. non alien.* cum Creditor nequaquam sit obligatus inservire debitori gratis.

14 Dices 7. Si expensæ deduci possent, vel possent omnes vel solum necessariæ: neutrum potest dici, *¶* non solas expensas necessarias, sed etiam utiles de-

ducendas esse, cum ambæ in utilitatem Domini pignoris cedant. ita sentiunt Sylvest. *V. pignus. qua. 13: Angel. Saa: Gregorius Lopez, Salas de usuris. dub. 28. n. 3. Palao de Just. disp. 4. pu. 19. n. 6.*

Dices 8. Juxta Innocentium tertium in *cap. salubriter: de usuris: excusatur gener ab usura non recipiendo in dotem fructus ex pignore dotali perceptos: ergo etiam à reliquis Creditoribus fructus pignoris non debent in sortem computari. ¶* concessio antecedente nego consequentiam. Ratio est, quod fructus pignoris interim, dum dos non solvitur, fuerint concessi genero tanquam pars dotis ad onera matrimonij sustinenda, prout scimus à socio filix & genero sæpius concedi alimenta dum dos soluta fuerit. Hinc istorum fructus genero conceduntur non in securitatem ipsius dotis, sed quia matrimonij onera sustinere debet, & in hunc finem, ut illa sustinet. Conceduntur etiam ejusmodi pignoris fructus genero absolute absque obligatione refundendi illos soluto matrimonio.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid de fructibus pignoris feudalis sit faciendum ?

IN priore §. vidimus fructus pignoris fructiferi in sortem à Creditore computandos esse ; quia autem contingere potest , ut vasallus à Domino proprietatis mutuas pecunias accipiat , eique in pignus bonum feudale fructiferum concedat , controversum manet , an Dominus directus fructus interea ex hoc pignore feudali perceptos debeat computare in sortem , atque à summa debita detrudere , vel non ?

Movetur autem quæstio de feudo propriè dicto , seu concesso vasallo sub onere cujusdam certi obsequij præstandi sine pensione aliàs in Emphytevsi persolvenda.

Secundò advertendum aliqua feuda gratis concedi sub onere personalis obsequij , alia verò datâ pecuniâ fuisse à vasallo coempta : item subinde feuda etiam à vasallis meliorata fuisse.

¶ Quòd in sortem computandi sint talis feudalis pignoris fructus , videtur ex eo patere , si non computentur in sortem , tunc Dominus directus committit usuram. Probatur. accipit aliquid , scilicet ipsos fructus , ultra sortem , sed qui accipit aliquid ex mutuo præ-

cisè ratione mutui ultra sortem committit usuram : ergo &c.

Secundò si nulla committeretur usura , ratio foret , quia vasallus deobligatus esset à solvenda pensione vel ab obsequij personalis præstatione : sed ob hoc non excusatur Dominus directus ab usura , probatur minor , nihilominus accipit aliquid ultra sortem. probatur. vasallus debitor in hoc casu est obligatus , ut in se hanc obligationem suscipiat , & permittat fieri hanc commutationem : ergo &c.

Tertiò potest contingere , ut pensio solvenda à vasallo sit longe minor quàm ipsi fructus pignoris feudalis , vel obsequium personale : ergo adhuc committeretur usura : quia aliquid accipitur ultra sortem.

Quartò neque ideo Dominus directus ejusmodi feudalis pignoris fructus potest percipere , quin illos in sortem computare debeat , quia in tali casu dominium utile iterum consolidatur cum dominio directo : hoc enim est falsum. probatur minor , si vasallus dominium utile in pignus feudale amplius non haberet , non posset esse pignus quoddam ,
Nn 2
cum

cum hoc non sit sub dominio illius, cui oppignoratum est, quia nullus propriam suam rem in pignus habere potest.

21 Quinto, quando etiam nulla pensio est Domino directo persolvenda, vel nullum obsequium personale exhibendum; saepius tamen ejusmodi feuda fuerunt pecunijs vel magnis obsequijs, Domino proprietatis antea exhibitis, comparata: ergo si fructibus tunc privatur vasallus, committetur usura,

22 Dico I. Si feudum spectet ad Ecclesiam vel monasterium tanquam ad suum Dominum directum, insuper gratis sine pecunia & in nullam compensationem praestitorum antea à vasallo meritum huic concessum, cum onere tamen pensionis vel obsequij personalis praestandi, fructus ex illo oppignorato precepti non erunt in sortem computandi, ita communis ac certa sententia. probatur conclusio: cap. ex insinuatione 1. de feudis ibi: respondit Innocentius tertius, quod Episcopus licite possit detinere gageriam (id est feudum in pignus datum) fructibus in sortem non computatis: ita tamen ut interea temporis, quo Ecclesia fructus ex feudo in pignus accepto percipit, praedictus vasallus Ecclesiae à servitio ratione feudi Ecclesiae ipsique Episcopo praestando sit immunis. idem habetur in cap. conquestus 8. de usuris.

Dico 2. Probabilius haec omnia etiam procedunt, licet feudum ad saecularem ut suum Dominum directum pertineat, & huic in pignus concessum fuerit. Ita Covaruvias lib. 3. varia. cap. 1. n. 4. Molina disp. 323. n. 2. Casus de usuris cap. 6. n. 4. Palao de Just. disp. 4. pu. 22. n. 3. Wiertel: Schmalzgrueber,

Probatur, juxta priorem conclusionem est hoc licitum in feudo Ecclesiastico: ergo multo magis in saeculari, Probatur si in isto non liceret, ratio foret, quia committeretur usura, si fructus non computarentur in sortem: haec ratio nulla est. probatur minor. in feudo Ecclesiastico ista fiunt absque usura: ergo nec committetur in feudo saeculari.

Confirmatur, si esset simpliciter usurarium fructus non computare in sortem. neque clerici id liceret, cum usura sit intrinsece mala: ergo cum istis licet vi citati capituli etiam licebit saecularibus.

Confirmatur 2. Citati capituli primi dispositio non potest esse constitutio continens aliquod singulare privilegium Ecclesiae concessum: ergo &c. Probatur antecedens: usura est jure naturali atque divino prohibita: ergo circa illius licentiam non potest à Pontifice privilegium aliquod concedi.

Dico 3. Quod fructus ex pignore feudali Dominus directus non

non debeat computare in sortem, ultimato provenire ex consuetudine in hoc contractu feudali introducta, vi cuius Dominus directus ipse possit remissa pensione, vel obsequijs personalibus fructus in sortem non computandos recipere, quoties eidem feudum pro debito à vasallo oppignoratum fuerit. Ita Sotus de *Just.* 6. *quest.* 1. *art.* 2. *ad ult. que.* 2. *de usuris* §. *ad cap. conquestus Covarruv.* 3. *variarum cap.* 1. *n.* 4. Valentia Toletus, Molina *disp.* 323. *in fine*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 16. *n.* 139. Laym. *lib.* 1. *sum. sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *n.* 20. Id ipsum colligitur ex dicto *cap. de feudis*: & *cap.* 8. *conquestus de usuris*.

Probatum 2. Ex primæva sui institutione ita instituuntur feuda, ut si pensio non solvatur vel obsequium personale non præstetur, dominium utile redeat ad Dominum, & cum proprietate consolidetur: ergo etiam potuerunt institui & juxta citata capitula, & authores fuerunt ita instituta, ut oppignoratum Domino feudum etiam huic fructificet; vasallus autem à præstando hoc onere sit interea deobligatus.

25 Ex hæcenus dictis colliges 1. fructus tales in sortem computandos esse, si Dominus directus à vasallo exigat vel recipiat pensiones & obsequia imposita. Ratio est, quod consuetudo ex declaratione *Innocentis tertij in cit.*

cap. 1. de feudis, permittat tantum perceptionem fructuum ex pignore feudali, si vasallus immunis à suo onere maneat: ergo si non maneat, computandi fructus in sortem erunt.

Colliges 2. Idem licitum Domino directo esse, etiamsi fructus pensionem aliàs solvendam vel obsequium præstandum excedant, ita contra Covarruviam relato Adriano & alijs 3. *variar cap.* 1. *n.* 4. Petrum Navarrum 3. *de Restit. cap.* 2. *par.* 2. *dub.* 12. Joann de Salas *de usur. dub.* 31. *circa finem n.* 5. *sentunt Panormit. in cap. conquestus: cit. n.* 2. Villagura *quest.* 6. *Navarr.: cap.* 17. *n.* 218. Angel. Sylvester, Conrad. Lessius *cap.* 20. *dub.* 16. *n.* 139. Garcias *de contract. part.* 2. *cap.* 16. Lopez. 2. *instruct. negotiant. cap.* 10. Paluccius, Barbosa *in cap.* 1. *cit. n.* 2. Zoesius *de feudis n.* 6. Wiestner *hic n.* 56.

Ratio est Innocentius Papa generaliter, ac sine distinctione asserit hoc esse licitum, non faciendo ullam distinctionem inter fructus æquantes aut superantes pensionem vel obsequia præstanda: ergo &c.

Ratio est secundò ab initio statim etiam magni proventus ex feudo provenientes fuerunt liberaliter concessi vasallo sub conditione exigui obsequij vel pensionis: ergo hac conditione sublata seu non perfoluta pensione, non

Nn 3 præ-

præstitis obsequijs possunt etiam magna fructus retineri.

- 27 Colliges 3. Si vasallus concessum sibi feudum curâ, atque industriâ suâ melioratum, ac fructuosius fuerit redditum, ac extiterit tempore primævæ concessionis, æquitati conforme futurum, vel maxime, Dominum directum non lucrari fructus integros feudi, sed eos duntaxat, qui tempore concessi primitus feudi fuerunt percepti, excessum verò reliquum ipsi vasallo relinqui. Ita sentiunt Canisius in *c. 1. de feudis*. Gonz. *ibidem versu idem dicendum*: Navarrus *cap. 17. n. 217*. Covarruv. *3. varia: cap. 1. n. 4*. Petrus Navarra *3. de Restit. cap. 2. part. 2. dub. 12*. Molina *disp. 323*. Salas *de usur. dub. 31. num. 1*. Palao *de Just. disp. 4. pu. 22. n. 4*. Zoesius *hic num. 7*. Pyrhing, Wiestner, Schmalzgrueber. Ratio est, quòd hæc sint propria feudatarij: ergo non debet, nec potest à Domino directo eisdem spoliari ob retentionem feudi.

- 28 Colliges 4. Si feudatarius per soluta pecunia, vel magnis obsequijs intervenientibus sibi comparavit feudum, Dominum directum nequaquam posse omnes talis oppignorati feudi fructus suos facere, sed in debiti sortem computandos esse, qui deducto pensionum à vasallo antea præstandarum valore erunt residui, aut correspondere iudicantur obsequijs an-

tea præstitis, vel per soluta pecunia.

Ratio pro istis est eadem, quæ fuerat pro priore; jus enim hoc fructus percipiendi ab ipso vasallo emptum, & comparatum fuit.

Quid autem licebit Domino directo, si feudum sit francum, hoc est ab omni onere pensionis, aut obsequij præstandi liberum? Sylvester *versu feudum n. 20*. Barbosa *in citat. capitulum 1. n. 2*. Gonzalez *ibidem n. 4. §. tertius casus*. Wiestner *n. 59*. Schmalzgrueber *hic n. 167*, affirmant, fructus in sortem computandos esse, eò quòd à servitijs liberum sit, consequenter omisso pensionis, aut obsequij retentione fructuum compensari nequeat: ex altera verò parte in *citato capitulo 1. de feudis*: Pontifex solum asserat, illos retineri posse, ut horum omisso compensetur.

Superest modò, ut quæ in contrarium antea adducta fuerunt, dissolvamus. Ad primam igitur rationem reponimus, nullam usuram committendam esse, quia ex vi contractus feudalis fructus pro se in hoc casu Dominus directus poterit retinere.

Ad secundam. Dicimus vultum ad hanc obligationem in se suscipiendam obstrictum esse ex contractu feudali cum Domino directo inito.

Ad tertiam dicimus non ob stare magnitudinem fructuum excedentium pensionum quantitatem, eò quòd

quod hac non obstante in receptione feudi in hanc conditionem ultrò consenserit vasallus, volenti au em non fit injuria.

fuisse, hinc aliam, quam istam rationem pro facultate non computandi fructus in sortem attulimus,

§) Ad quartam dico, concedendo in tali casu dominium utile nequaquam cum directo consolidatum

Quinti denique argumenti solutio ex dictis n. 28. constat.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

An idem liceat circa fructus pignoris Emphyteutici, usu-fructuarj, usuarj, conductuj.

34 Dico 1. Fructus ex pignore emphyteutico percepti probabilius in sortem non veniunt computandi. Ita Panormitan. in cap. conquestus de usur. n. 2. Angel. usura 1. §. 11. & verbo: feudum §. 21. Mercado de usur. cap. 8. Vega verbo usura: casu 56. Everard. Legal. arg. loco 29. & 30. & communis sententia teste Covarruvia d. cap. 1. n. 4. cui adherent Lessius dub. 16. n. 143. Salas dub. 31. num. 4. Wicstner de feudis num. 58.

nus directus feudalis rei in pignus sibi data fructus possit percipere, & pro se retinere, ita hoc ipsum circa Emphyteuticum pignus observandum, & Domino directo concessum videtur. Ratio autem hæc statuendi videtur fuisse, quod teste Lessio non videatur rationi consentaneum, ut res apud Dominum directum actu existens fructificet alteri.

Opponunt adversæ opinionis Patroni, citata duo capitula ex insinuatione 1. de feudis, & cap. conquestus 2. de usuris, restringunt jus commune: ergo non sunt extendenda à feudo ad Emphyteutin tanquam odiosa. n. neg. ant. quia citata capitula nequaquam jus commune restringunt, sed potius declarant. Ratio hujus dari solet, quod nullibi in jure communi legamus illicitum esse, gratuita concessioni, quæ alteri est facta, appone

Probatur: Emphyteutis habet maximam convenientiam cum feudo, & unice differt in eo, quod feudatarius ad obsequium personale, Emphyteuta verò ad pensionem realem suo Domino persolvendam obligentur: ergo sicut in contractu feudali juxta introductam consuetudinem hæc conditio fuit apposta, ut Domi-

ponere hanc clausulam, ut fructus illius à concedente Domino percipiantur, si talis res data ad Dominum ut pignus revertatur. Ipse autem feudatarius ab obsequio personali; Emphyteuta vero à pensione immunes interea præstandâ fiant.

36 Dico 2. Fructus ex pignore usufructuario, usufructuario, & conductitio percepti probabiliter in fortem computandi erunt. Ita contra Panormitan. in cap. conquestus; de usur. n. 2. Angel. usura 1. §. 11. & verbo feudum. §. 21. Mercado de usura: cap. 3. Vega verbo usura: casu 56. n. 6. Sentiant cum communi Covarruvias 3. vari. cap. 1. n. 4. Molina disp. 323. post init. Salas de

usura. dub. 31. n. 4. Palao disp. 4. de Just. pu. 22. n. 6.

Probatur. Talis Dominus directus neque potest hos fructus suos facere eo eo, quod in tali casu acquisiverit huius pignoris dominium etiam utile, cum hoc probari nequeat; & isto pacto non amplius habet rationem pignoris; nec ullius legis dispositione, nec ex tacita, vel expressa conventionione, tempore celebrati contractus facta. Cum de his omnibus nihil constet; ergo &c. neque decisiones de feudo, & Emphyteuti factæ ad ceteros contractus valde dissimiles sunt extendendæ.

CASUS XXI.

De Societate Lanionia.

Duo laniones, Bartholomæus, & Jacobus Societate sui opificij inita convenerunt inter se, ut unus illorum domi manens in macello, & mensa lanionia commodum utriusque promovere pro vinibus laboraret: alter autem in circumjacentem viciniam excurreret coëmeret necessaria pecora. contigit autem, ut Bartholomæus in vicinos pagos excurrere suo semper equo uteretur, atque sæpius ad prædium Jacobo suo collegæ proprium dirigeret, reperto ibidem pabulo suum equum nutriens.